



Reinoldus filius fuit Reinoldi comitis Gel-
driæ. hic ob uitę integratatem & corporis for-
titudinem post patris obitum Geldriæ comes fa-
ctus, eam ditionē magna laude administravit. Cū
autem eo tempore Ludouicus Cæsar cū Austriae
ducibus plurima bella gereret, Reinoldus Ludo-
uico adhæsit, atq; suæ uirtutis indicia multis in lo-
cis declarauit. Itaq; Ludouicus Bauarus, cum ui-
ctor extitisset, hunc Reinoldū anno 1329, in frequē-
ti Imperij principū confessu, Franckofurti ad Mœ-
num primum Geldriæ ducem constituit. In ea emi-
nentia Reinoldus cōstitutus, Geldriam pietate &
iustitia excoluit, atq; uarialatrocinia & rapinas su-
stulit. Cum hoc modo longo tempore ijs in locis rerum potitus esset, tandem
moriens ducatum suum Reinoldo & Eduardo filijs reliquit. Verūm cum illi
sine herede morerentur, ea regio temporis successione ex diuersis familij s-
uarios principes habuit. Aliquandiu enim Iuliacenses, deinde Clivēses, postea
Egmondani, & tandem Burgundici principes eam obtinuerunt. donec tan-
dem Carolus 5 Imperator anno 1543 eam contentionem finierit, atq; sibi
subiecerit, cuius filius Philippus rex Hispaniarum hodie magna
existimatione ijs in locis præst. Monst. lib. 3.